

III.
NEOVIDENSIS

Nro 38. (*Neovidensis* 1805. Nro 34.)

Ex campis Elysiis
Colloquium Politicum
vita functorum.

Elysium - Meum. -- Die Veneris 10. Maji 1805. (Neov. 26. April.)

Jam mare Neptunus, jam terram Jupiter almus
Ambo tenent, sed eheu! rara est concordia fratrum;
Horrida bella gerunt, tellus, pelagusque sub astris
Arma levant, plenæ jam pugnant milite classes.
Pax ubi quærenda est?

Dialogus

Inter Zeum, Neptunum, & Pacem.

Zeus. Te esse a veteribus Deum omnium
aquarum, præcipue vero maris constitutum
scio. Sed quo jure?

Neptunus. Eodem, quo tu terram, seu
continentem ut imaginarius Deus gubernare
peroptas.

Zeus. Pace tua dixerim, Frater! Divini-
tates nostras esse inventum quorundam in-
geniosorum Poëtarum, & manifestum signum,

homines sibi omni tempore fabellas Romanenses fabricavisse.

Neptunus. Mythologia veterum est eximia inventio. Ut quid vis tu nos inde exclusos, ubi tam magnificas agimus personas?

Zeus. In fabula pulchram, vel magnam agere personam! — Rubore suffundor.

Neptunus. Ego, nulla habita ratione fabulæ, meam dominationem in mari sustentabo. Teneo firmiter meum tridentem.

Zeus. Tu pertinacia superas quemcunque Anglorum. Novi quidem, te propter Angliam insolentius efferre, sed — —

Neptunus. Abstine ab hujus rei sermone; quantam tu exerces in continente potestatem? quantas tibi possem facere exprobrationes?

Zeus. Nos ambo, non me latet, multum reponimus in dignitate, quam nobis fabulæ attribuerunt; Similis simili gaudet. Verum seposita fabula, ego ejus sum opinionis, ne uni nationi præ cæteris faveas peculiariter, sed cum mare sit proprietas accolentium populorum, quilibet, qui illi adjacet, ab aquoso Neptuno (*intellectin'*) suos habeat favores.

Neptunus. Quid, non es tu certam Nationem in continente singulari studio complexus? Non misisti illi Martem cum omni ejus fortuna in auxilium? non obtinuitne Gallia in cætera regna præponderans momentum? — Hic debet fabula effectui dari: tu manes Deus terræ, ego autem Deus maris.

Zeus. Video Deam pacis appropinquantem.

Neptunus. Gaudeo, illa fert ramum olive! sed quid tenet altera manu?

Zeus. Facem.

Neptunus. Dea pacis fert ignem? Res mira.

Zeus. Ita, adfert ignem ad concremanda arma, quibus Mare, & Continens decertant.

Pax. Licetne Deæ pacificæ comparere in consilio Deorum? Zee! Neptune! magna terræ, & maris Numina! Sum placida Dea pacis; venio, ut a vobis pacem efflagitem. Genus humanum multum patitur, heu! jam diu affligitur bellis, — bellis omnis generis. Nondum perspicit finem harum calamitatum. Non estne illud ad felicitatem conditum? Non tollitne autem eam belli contentio? Vix requievit ex revolutione, & jam iterum bellum maritimum? & quidem bellum, cujus exitus non patet, quod alia post se trahere potest eruenta certamina.

Zeus. Neptune! audivisti eam loquentem?

Neptunus. Tu quoque? non dubito.

Pax. Inquietudo, caritas rerum, metus, ærumnæ, & sexcentæ aliæ miseræ plerumque fidissimi sunt belli comites. Talia nunc vivimus tempora; Dii immortales! ad vos accedo, ut vos ad misericordiam flectam; oro, atque obsecro pacem.

Neptunus. Pacem poscis?

Zeus. Ignorasne me eam Angliæ Neptuno obtulisse?

Pax. Ausim in concilio Deorum pauca proloqui?

Neptunus. Loquere, quod est tuum postu-
latum, & quæ motiva?

Pax. Licetne primum ponere quæstio-
nem? — Quæro, quæ sit causa belli?

Zeus. Anne tu sola nescis, nolle Anglos
contra conclusum pacis Ambianensis reddere
insulam Melitam, imo hodie quoque in ejus
possessione perseverare?

Pax. Nihilne occurrit Neptune (sed igno-
sce interroganti), quod contra opponas?

Neptunus. O Dilectissima, svavissima Dea
pacis, tu unice commodis studes mortalium;
exaudi meas querelas. Post pacem Ambia-
nensem varios novos instituit Gallia politi-
cos tractatus, qui Anglis, quam maxime au-
tem Gentibus in continente degentibus peri-
culosi videbantur. Munus Præsidis in Repu-
blica italica, quæ modo in regnum conversa est,
& aliæ ejusmodi usurpationes prodiderunt con-
silia contra Angliam ex parte Italiæ. Tentata
jam semel via in Ægyptum hac ratione iterum
patefacta, si Melita Genti, minus potenti,
fuisset concedita. Nemini est ignotum, va-
stas Anglorum possessiones in orientali In-
dia multo labore, & sanguine stetisse; unde
poterant Angli esse certi, Gallos non redi-
turos amplius in Ægyptum, non inquietatu-
ros possessiones Hindi, & multo minus eas-
dem ab Anglia avulsuros? Pax Ambianensis
hac de re securitatem tantum præstitit sub
conditione, si nimirum Gallia se in negotia
Italiæ non immiscuerit. Sola insula Melita

poterat viam in Ægyptum præcludere. Non eratne ergo prudentiæ, & Politicæ conforme hoc munimentum, hanc defensionis rupem occupatam tenere, ne novum exurgat bellum?

Pax. Tuæ rationes habent speciem providæ, sapientisque politicæ, sed nullus dubito, Zeum perinde solida adducturum argumenta in defensionem Galliæ.

Zeus. Æquum exposco iudicium, & neutrius partis studium. Non declaravitne Imperator Gallorum se coronam Regni italici tamdiu tantum gestaturum, quamdiu Angli Melitam, & Russi Rempublicam 7 insularum non dimiserint? Quo factò transferetur in alium. Nonne tunc pax Ambianensis, quamvis in ea de Italia nihil sancitum sit, cum plena Anglorum satisfactiõne implebitur?

Pax. Ut observo, omnis causa belli cubat in possessione insulæ Melitæ?

Zeus. Et quæ posset esse alia?

Neptunus. Ob securitatem Angliæ.

Pax. Si ita est, facili negotio potest bellum finiri.

Neptunus. Quo pacto?

Zeus. Audiamus.

Pax. Nonne Neptune! tui Angli illico relinquent Melitam, quamprimum fuerint securi redditi, eorum colonias in Indiis nulli periculo expositum iri?

Neptunus. Sine omni dubio.

Pax. Nonne potentissime Jupiter! Gallia italicam coronam cedit alteri, faciet pacem,

ut primum Angli ex insula Melita, & Russi ex Republica 7 insularum excesserint?

Zeus. Hoc utique Gallia cum omnibus diplomaticis ceremoniis abunde declaravit. Quis vocet in dubium?

Pax. Itaque remedium, quod tollat difficultates, & postulata utriusque partis impleat, potest pacem redintegrare?

Neptunus. Hoc per se intelligitur.

Zeus. Omnino, iterum, iterumque affirmo.

Pax. Ergo bene; hoc medium mihi præsto est.

Neptunus. Edissere.

Pax. Dicenti operam date. Tridentifer Neptune! tui Angli multas habent colonias, multas possessiones, quæ illis in locum lucri, immanes absorbent pecunias. Colonia in Hispania in cacumine Gibel Tares venit Britannis & magno labore, & gravibus impensis. Nunc jam facio pacem: Angli relinquunt Melitam, eamque tradent ordini Melitensi. Cum autem hanc rupem ex metu tantum, ne Ægyptus iterum impetatur, retineant, deducant colonias in Ægyptum, Alexandriam, Rosetum &c. easque in littoribus maris firment ita tamen, ut internum Ægypti gubernium, uti prius, ad Turcas, eorumque Præfectos pertineat. Illi alioquin jam fidum habent in Præfecto Elfi amicum, quem tempore suæ commorationis in Anglia, ut conjicere licet, de omnibus suis intentio-

nibus
litaris
præsi
sione
tariet
suma
bellu
debe
effe
mod

prov

hanc
redi
nam

1. H
mæ
voc
nye
Sala
Zag
pon
tum

giæ
Arc
Ma

nibus satia, superque informaverint. Ista militaris colonia forte melius, quam Melitense præsidium arcebit ab Ægypto omnes incursiones. Erit utique non minus, atque Gibraltariensis sumtuosa, sed, si in considerationem sumatur, per id evitandum esse diuturnum bellum, & procuranda politica securitas, debent ejusmodi sumtus spectari tanquam effectus prudentis œconomix. Superi! quomodo arridet vobis hæc pax?

Neptunus. Est aliquid, quod me de improvise attonitum facit.

Zeus. Anglica colonia in Ægypto!

Pax. Perpenditote in Concilio Deorum hanc meam propositionem. Ego paulo post reditura sum, ut responsum accipiam. Utinam vertat pro felicitate generis humani!

PUBLICANDUM. ***

Siquidem Excelsum Consilium R. L. H. 1. Humanitatis Cathedram, per Domini Thomæ Mikloussich, principaliorem Status sui vocationem sequentis, ad Parochiam Szteneviczensem transitum, cum admenso 500 fl. Salario penes Regium Archi - Gymnasium Zagrabiense vacantem Concursui publico exponendam disponere benigno - gratiose dignatum sit;

Talismodi Concursus in Conspectu Regiæ Zagrabiensis Academiæ, eique adnexi Archi - Gymnasii die 14 mox affuturi Mensis Maji more solito celebrabitur.

ANNUNCIATIO. ***

Augustae Vindelicorum in Cancellaria Indicum (Intelligenz und Adres Comtoir) Lit. D. Nro. 193. cupro incisae, atque in dimidia philyra chartae optimae, summa cum commendatione artis expressae imagines vulgantar, quae diversas regiones, provincias, terrarum, montium, sylvarum, & fluviorum tractus repraesentant, ac in quibusdam 2, 3, aut 4 etiam distinctarum rerum objecta a peritissimis in arte delineatoria, & chalcographica magistris inventa, & elaborata oculis intuentium subjiciuntur. Hae vero imagines chalcographicae ea cum attentione sunt elaboratae, ut, praeter quam quod nulli hominum statui offendiculo esse possint, simul & ob exiguum subscriptionis pretium, & internum valorem omnibus hac in arte optatum profectum facere volentibus maximo adjutorio esse possint. Inter has chalcographicas imagines opera etiam nominatissimorum Megalographorum, utpote e Helvetia originem suam ducentis *Düringerii*; *Uhlingerii*; item *Klengetii* &c. numerantur.

Quilibet fasciculus, 24 diversas effigies continens 1 fl. 42 xr. venit; ac proinde omnes tres fasciculi, qui hactenus prodiverunt, 5 fl. 6 xr. Quicumque igitur seu omnes 3 fasciculos 72 frusta continentes, sive unum alterumve tantum habere cupit, competens pretium securam quapiam occasione, cui ipsae quoque effigies tradi possint, transponere non gravetur ad Ephemeridum harum Editorem.